

tionum  
spec.









ORATIO  
DE ARCA NOAH,  
RECITATA IN ACADEMIA REGIOMONTANA PRUSSIAE.

201.

33

A

D. IOHANNES  
Wigando.

4<sup>aq.</sup>

REGIOMONTE BORUSSIAE  
typis hæredum Ioannis Daubmanni,

---

M. D. LXXIII.



501

ORATIO  
DE ARCA NOAH  
RECTATA IN ACA  
DE MIA REGIONE  
TANA RY S  
SIAE

A

D. JOHANNES  
Wigbolds

REGIOMONTE BORVSSIA  
typis Johannis Dabrunn

M. D. LXXIII





AMPLISSIMIS  
ORDINIBVS DVCATVS  
BORVSSIAE, ILLVSTRIBVS,  
nobilissimis, & honestissimis viris,  
Dominis suis colendis.

G. & P. per Christum.



Memorabilis est sententia Domini nostri Iesu Christi: Quærite primum regnū Dei & iusticiam eius, & hæc (bona corporalia) omnia adhicientur vobis. Docet autem cur homines à Deo præcipuè creentur, & cur in hoc mundo uiuant, & quonam omnes suas cogitationes, curas, actiones potissimum, dirigere debeant. Operæ pretium igitur erat, vt omnes mortales hanc egregiam & illustrem sententiam, non ab Apolline dictam, neq; à Platone prolatam, sed à Deo nostro, qui uitæ mortisq; nostræ potestatem habet, & qui me teq; iudicaturus est breui, tradita & proposita est, semper ob oculos haberent, & attentè meditentur.

Vident omnes, qui non omninò hebetes sunt, brutãq; prorsus vitam uiuūt, in tres quasi classes uniuersum genus hominum in hoc mundo degentium, esse diuisum. Sunt enim aut Epicuræi, aut Hypocrite, aut ueræ Ecclesię Dei ueri ciues. *XB.*

Epicuræorum secta omnium est numerosissima & potentissima, quocunq; locorum mentem atq; oculos conuertat. Hi uerò sunt tales, qui opes, dignitates, uoluptates existimant esse summam hominum beatitudinem, ad quam



uelis remisq̄, quod dicitur, omnibus, siue per fas siue etiã  
per nefas sit contendendũ. Non enim tantum ñ censendi  
sunt Epicurei, qui potationibus ac helluat:ionibus, aut ob-  
scœnis uoluptatibus, non aliter atq̄ sues in cœno sese uo-  
lutant ac polluunt, ultroq̄ profitentur, sese nullum iudic-  
cium, nullamq̄ uitam post hanc credere, sed qui uitæ ho-  
nestatem præ se ferentes, nihilominus in ea re præcipuam  
uitæ suæ foelicitatem sitam esse ducunt, vt quibuscunq̄  
possunt artibus scandant ad dignitates, nihil curantes, siue  
id legitimis siue illegitimis modis fieri queat. Nam hoc  
solenne est in isto mundo, aliorum excellentiæ insidias stru-  
ere, calumnijs alijsq̄ mirandis molitionibus. Item, vt opes  
ac possessiones sibi suisq̄ colligant & augeant, partim mi-  
rificis fraudibus, quæ à me quidem exponi nequeunt, quia  
nimis astutæ & uariæ sunt, & quo functiones, in quibus  
homines uiuunt, sunt excellentiores, eò artes illæ compa-  
randi atq̄ accumulandi facultates sunt mirabiliores; par-  
tim etiam satis manifesta audacia, quia eiusmodi Epicuræi  
omnem pudorem à frontibus suis penitus absterferunt.  
Quid enim illi Epicurei pios atq̄ honestos homines reue-  
rerentur, qui omnem Dei timorem iam pridem ex suis ani-  
mis exploserunt. Nam quia hoc apud se constitutũ habent,  
quod uelint ditescere, suasq̄ opes amplificare, quacunq̄  
possint ratione, & eam esse præcipuam causam, cur in hoc  
mundo uitam agant, vt quasi uorent opes huius mundi,  
ideò neq̄ propiciam neq̄ iratum Deum magnificare possunt.

Nam si præceptis de pietate, deq̄ dilectione Dei seriò  
afficerentur, ac metuerent cõnationes Dei grauissimas,  
non defraudarent suos Dominos, vt ille iniustus Oeconõ-  
mus in historia Euangelica, non deciperent proximum,  
non raperent aliena, non calumnijs, non iniquis iudicjs,  
non



non usuris, non expilationibus alijsq̄ aucupñs innumeris  
suas res conarētur facere lautiores. Referendi igitur sunt  
ad hanc Epicuræorum sectam, non tantum prodigi Aco-  
lasti, sed etiam Eucliones, & omnes qui legibus diuinis  
posthabitis atq̄ contemptis, opibus, possessionibus, di-  
gnitatibus unice inhiant.

Ex hac igitur commemoratione liquet, quanta sit pas-  
sim in toto mūdo obuia Epicuræorum cohors. Licet enim  
pleriq̄ uideri non uelint, quod sese tam foedæ sectæ totos  
manciparint, tamen opinione, req̄ ipsa sese tales esse, satis  
quidem crassè probant.

Alter coetus hominum, multo priori minor, hypo-  
critarum est, qui nimirum sibi in animum inducunt, quod  
sua probitate & possint & uelint apud Deum uitam &  
gloriam æternam promereri. Neq̄ uerò idolatricæ gen-  
tes inter hypocritas referendæ sunt, quæ prorsus sunt  
ignaræ uerbi diuini, et potius pro Idololatris, iuxta sacras  
litteras, simpliciter inter Epicuræos reñciendi sunt, ut qui  
Deum uerum ignorent, & potissimum propter temporas-  
lia commoda uenerentur sua Idola. Nam de uita æterna  
nihil habent certi. Neq̄ Canonicos luxu diffluentes, neq̄  
sacrificulos cōcubinarios et præbendarum helluones, neq̄  
Monachos uoraces & spurcos inter hypocritas recenseo.  
Pertinent enim ad Epicuræorum haram. Sed tales sunt  
Pharisæi, magno studio satagentes legi diuinæ satisfacere,  
& Monachi nonnulli, quibus cordi curæq̄ est salus sua.  
Verum quia solam legem Dei in conspectu habent, nec re-  
ctè intelligunt uocem Euangelij, suis operibus ineptè, imò  
cum contumelia nominis diuini, cumq̄ suo æterno exitio  
tribuunt legis impletionem, eisq̄ confidunt. In ea senten-  
tia non dubium est, multos honestos & religiosos homines  
hodiè in regno pontificio inueniri, Vbi tantum opera hu-



mana, ad salutem necessaria inculcantur, & acerrime impugnatur atq; damnatur Euangelij uox, sola fide in Christum gratis nos coram Deo saluari & iustificari.

In nostra Ecclesia, ubi uox Euangelij pure & luculenter sonat, credo non facile inuentu esse multos eiusmodi hypocritas, hoc est qui suæ probitati iuxta legem Dei prestitæ, attribuerent meritum iusticiæ suæ et salutis perpetuæ. Nam licet non pauci passim occurrant, qui religionem, & aliquam insuper interdum sanctitatem, aliquibus gestibus, uerbis, aut quibusdam factis præ se ferant, tamē meri sunt, et puri Epicuræi, suis tantum priuatis comodis ac uoluptatibus sine Dei timore operam dantes, & uel parū uel nihil Ecclesiam Dei adiuuantes, Imo res ipsa docet tales mobiliores esse quibusuis arundinibus, leuissima saltē aurula contra Euangelium Christi eiusq; professores exorta.

Tertius uerò cœtus omnium minimus est, nempe ueræ Ecclesiæ uerorum ciuium, qui seriò statuunt, hunc suæ uitæ, quam à Deo acceperunt, præcipuum esse finem, & ad eum omnibus uotis ac studijs dies noctesq; contendendū, ut quærant regnū Dei & iusticiā eius, ut Christus docuit.

Sed ut res tota fiat luculentior, Christi uox non nihil euoluatur atq; expendatur. Quid hoc rei est, summum hominis finem in hoc mundo, cur à Deo creetur & sustentetur, esse, ut quærat regnum Dei & iusticiam eius. An non uidetur Aristoteles planius loquutus, qui asserit uirtutem esse finem uitæ humanæ? Respondeo. Cedant tenebræ luci, creatura creatori. Filius Dei unigenitus est, qui ex sinu patris cœlestis hanc sapientiam nobis profert: Eam igitur ob causam inquit homines creari à Deo, & uiuere, ut quærant regnum Dei. Quod uerò illud regnum, & ubi est? An non omnes homines sub cœlo uiuunt? An non omnes stellas, omnes herbas, omnia animalia, etiam minutissimos



atissimos atomos, nedum homines rationales, Dominos  
istius terræ, curat Deus?

Ausculda parumper. Lapsus humanus, si quis nescit  
effecit, ut Diabolus magnum & potens regnum super ho-  
mines sit nactus, usq; adeò, vt etiam in sacris literis prin-  
ceps, imò Deus huius mundi appelletur. Misericordiæ  
autem Dei immensæ est, quod Deus quoq; regnum quod-  
dam peculiare, quod quidem gratiæ diuinæ, seu Messiaë,  
hoc est Domini nostri Iesu Christi regnum meritò appel-  
latur, vicissim instituit.

Regnum Diaboli, est regnum tenebrarum & peccas-  
torum, hoc est vbi non extat doctrina cœlestis per filium  
Dei patefacta, aut obscuratur atq; deprauatur corruptelis  
humanis, aut regnant peccata contra conscientiam, profas-  
nitas, auaricia, rapinæ, luxus, uoluptates, leuitas in dictis  
factisq; odia, oppressiones aliorum. In hoc regno fre-  
quentes uiuunt, Epicuræi & hypocritæ, qui quidem om-  
nes filij huius seculi in sacris literis nominantur, vt qui bo-  
na sua in hac uita cum illo opulento, cuius fit mentio Lucæ  
16. percipiant

Regnum Dei hoc loco, non significat regnum Dei ge-  
nerale, quo condit & sustentat omnes creaturas, sed speci-  
ale, quo per uerbū suum, quod ipsemet reuelauit, ac uoluit  
certis Prophetarum & Apostolorum monumentis com-  
prehendi, & per Sacramenta, promissioni gratiæ adiun-  
cta, homines de rebus amplissimis, quæ alias sunt & ma-  
nent ignotæ hominibus naturaliter, docet, eosq; regenerat,  
donans eis remissionem peccatorum propter Christum  
propiciatorem, iusticiam, Spiritum sanctum, inchoantem  
uitæ nouitatem, pacem conscientiæ, & uitam æternam.

Non abolet autem hoc regnum, quod spirituale est,  
regna politica, quæ iusticiam ciuilem, pacem ac discipli-  
nam

*C. uero diab.  
mundi princeps  
uocabitur?*

*Regnum Dei  
hoc loco qd  
significat?*



nam tentantur, ac sceleratos legitimè puniunt. Sed potius ornat & iuuat, qua de re aliàs.

Intelligunt igitur mediocriter animum aduertentes, Regnum Dei hic uocari Ecclesiam Dei ueram, ubi uerbū Dei, quod est salutis nostræ & cultuum Deo placentium fons, sonat, & Sacramenta, iuxta Christi mandatum administrantur. In hoc enim coetu Deus regit suo sancto Spiritu, homines sanctificans, & cogitationes mentis, motus pectoris, omnesq; actiones ita gubernans, ut Deus rectè cognoscatur, inuocetur, celebretur, & ut tentationes carnis, Diaboli & impñ mundi superentur.

Iam quærere hoc Dei regnum, est omni uigilantia & diligentia circumspicere, ubi in mundo hoc Dei regnum uigeat, eiq; sese toto pectore adiungere, regenerari uerbo ac spiritu, audire, discere uerbum Dei, coniungere suas preces et confessiones ei coetui, pati insultus impiorum, & pugnare contra carnis maliciã, ac tandem certò expectare læticiam & gloriam æternam in resuscitatione mortuorū.

Iusticia Dei in hac sententia, opposita est iusticiæ humane, singularis enim emphasis in hisce uocabulis est, quia Deus ipse ea profert.

Humana iusticia iam post lapsum, est obedientia quædam, iuxta leges diuinas. Nihil enim hic de iusticia ciuili, nihil etiam de obseruatione traditionum humanarum, qualis est Monachorum religio, differimus. Est autem illa humana iusticia iuxta legem Dei, siue à Pharisæis, siue ab alijs quicunq; tandem illi sunt, præstetur, imperfecta, manca, mutila, imò & immunda est, quia fons ipse unde manat lutulentus est, nempe cor humanum.

Sententia igitur iam lata est de hac humana iusticia, quod nemo hominum per eam possit coram Deo iustificari & saluari. Sic enim filius Dei pronunciat: Nisi iusticia  
uestra



uestra abundauerit plus, quam Scribarum & Phariseo-  
rum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5. Et  
S. Paulus diserte hoc iudicium repetit: Ex operibus in-  
quit, legis, non iustificatur omnis caro coram illo. Ro-  
ma. 3.

Iusticia autem Dei, hoc loco non significat essentia-  
lem Dei iusticiam, qua Deus ipse ab æterno iustus est. Ea  
enim non est communicabilis ulli creaturæ. Sed significat  
iusticiam quam filius Dei, factus homo, sua passione atq[ue]  
obedientia pro toto genere humano, peperit atq[ue] consecu-  
tus est, quam uoce Euangelij et sacramentorum denunciat,  
applicat, impertit atq[ue] obsignat, id quod ex luculentissi-  
mis scripturæ sanctæ testimonijs patet, ut Roma. 3. Tra-  
ditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iu-  
sticiam nostram. Item, 2. Corint. 5. Eum qui non noue-  
rat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur  
Iusticia Dei per ipsum.

Quære itaq[ue] iusticiam Dei, significat audire uocem  
Euangelij, fide Christum, eiusq[ue] beneficia amplecti, uti Sa-  
cramentis ab ipso traditis, ac uerè statuere, sese coram Deo  
remissionem peccatorum ex gratuita atq[ue] immensa mise-  
ricordia per & propter Christum habere, & iam tum esse  
hæredem uitæ æternæ. Et hac fide prælucente, Deum ti-  
mere, inuocare, celebrare, & uitam æternam cum pacien-  
tia, inter multiplices huius momentaneæ uitæ ærumnas &  
afflictiones, expectare.

Hæ sunt margaritæ illæ, hi sunt thesauri illi, quos  
Christus omnium maximè in tota hominis uita quæren-  
dos esse docet ac præcipit.

Reliqua omnia in hac uita sunt fluxa, caduca & falla-  
cia, ut pecuniæ, possessiones, excellentiæ, uoluptates. Tan-  
dem enim suos cultores deserunt. Imò euanescit & hy-

B

pocrisis

*O uia iust.  
Dei nomine  
hæc huius*

*Quid gre  
ce iust. Dei*



poeriss, euigilante multitudine & grauitate peccatorum.  
Clamat sanctus ille Monachus Bernhardus, perditè uixi,  
qui tamen plus habebat sanctitatis Monasticæ, quam ho-  
die pleriq; inter optimos Monachos habent.

Sed iusticia Dei, quam fides à Christo ex gratuita do-  
natione consequitur, est æternum bonum, quod comitatur  
nos ex hac misera uita discedentes, & in iudicio aëreo atq;  
uniuersali, nos commendabit Deo patri, eritq; uera, illu-  
stris, preciosa & fragrantissima uestis nuptialis atq; salu-  
tis, ut Christus & Esaias nominant, qua in omnem usq;  
æternitatem Deo placebimus, & cum Angelorum choro  
eum laudabimus.

Ex his quæ commemorauimus, mediocriter intelligi  
potest, rectissimè filium Dei nos instituere, à Deo homi-  
nes in hunc mundum creati, & eos uiuere potissimum  
hanc ob causam, ut quærant regnum Dei et iusticiam eius.

O foelices igitur homines, ac ter quaterq; beatos, qui  
ista & intelligunt, & huc omnes suas cogitationes, & acti-  
ones dirigunt, ut sint in regno Dei, hoc est in uera Dei Ec-  
clesia, & iusticia Dei per fidem fruantur.

Cum autem Diabolus, caro deprauata, & mundus,  
aduersus regnum Dei odio irreconciliabili flagrent, ac  
paupertate, contemptu, exilijs, læuisq; persecutionibus ci-  
ues eius regni horribiliter deformant atq; excrucient, ad-  
dit Christus consolationem necessariam & suauissimam,  
ne propterea frangantur animis, sed sciant Deum & cor-  
poralia bona suis clementer daturum, quantū uidelicet eis  
profuturum esse censet. Potissimæ autem ac liberalissimæ  
mercedes, ac compensationes omnium ærumnarum, in  
æterna illa uita largissime subsequuntur. Huc igitur respi-  
ciendum, Huc contendendum est.

Hæc autem omnia, cum oratione de arca Noah, quam  
nuper

*calamit. uelut  
Dei gentis. st  
pauc. contemp.  
caus. peccata.*



nuper recitati, congruere sentio. Videmus enim Epicuræos & hypocritas, ante diluuium, totum occupasse mundum, paucissimi autem fuerunt, regnum Dei & iusticiam eius quærentes. Sed Epicuræos & hypocritas vndæ, ultionis diuinæ executrices, uno impetu absorbent ac delēt, & aliquam æternarum poenarum speciem adumbrant. At Noah cum suis in regno Dei uersatur, & miranda Dei clementia & omnipotentia, in exigua domuncula conseruatur. Sic nos aliquando eluctabimur ex hoc æstuante & furioso mundo, ubi ab Epicuræis, hypocritis, tyrannis, & ipso quoq; Diabolo liberati, Nouum iusticiæ mundum in secula seculorum incolemus.

Vobis uerò amplissimi ordines, hanc orationem de Arca Noah inscribendam esse duxi: Primum, quia cum pia uoluptate uideo, uos quoq; pro Regno Dei atq; eius iusticia, uti quidem uos decet, ac Deus ipse à uobis exigit, non segniter esse sollicitos, atq; existimare, hoc meritò primum ac potissimum in hac prouincia esse debere, ut regnū Dei in hoc populo extet ac floreat, & iusticia Dei cognoscatur & apprehendatur. Quid enim sunt homines, etiā si omni opum atq; uoluptatum genere affluant, si sint in regno Diaboli, & egeant illa Dei iusticia, qua coram Deo iusti pronunciari, & uitam æternam adire possent? Laude igitur perpetua digni estis, quod Ecclesias & Academias præ omnibus alijs temporalibus rebus, sana & incorrupta Euangelij doctrina, ac sinceris fidisq; doctoribus rectè constitui studetis, ac totis pectoribus corruptelas doctrinæ cœlestis, & fanaticos doctores ac præstigiatores abhorretis, pertinet enim ea res ad gloriā uestri creatoris, & ad uestram uestrorūq; temporalem atq; æternam salutem. Nam falsa dogmata gratiā ac benedictionē Dei, imò et uestram salutē auferunt, qua quidē nihil habetis charius.


B 2

Deinde



Deinde & hanc ob causam uobis istam orationem  
inscribo, quia illustrissimus Prussiae Princeps ac Dux, D.  
Albertus Fridericus, Dominus meus clementissimus, in  
literis uocatorijs, tum ad Ducem Brunswicensem, tum ad  
Doctorem Chemnicium, tum ad me scriptis, uestra quoque  
petitione & uoluntate me in Academiam istam uocari,  
expresse significauit. Volui igitur uobis hasce primicias  
dedicare, quia & Illustriss. Principis & uestra uoce in hanc  
stationem, Deo sic regente, deductus & collocatus sum.  
Filius autem Dei oro, ut haec omnia ad sui nominis glo-  
riam, & omnium nostrum salutem, clementer gubernet,  
Amen.

Ioannes Wigandus D.



ORA



# ORATIO DE ARCA NOAH.



**M**Nibus ætatibus in hoc mundo, Exilia  
piorum fuerunt ualde crebra, quæ nos de  
tristi lapsu primorum parentum, & de  
lugubri pulsione ex Paradiso commone-  
faciunt. Sed in hac postrema totius mundi inclinatione, ea  
multò futura esse frequentiora & asperiora, Christus ipse  
& Apostoli claris uerbis prædixerunt. Si me inquit fi-  
lius Dei, persecuti sunt, & uos persequentur. Et oportere nos Christo conformes fieri, legatus ille præclarus,  
gentium doctor, sine omni hæsitatione pronunciat.

Miranda autem DEI consilia, in Exilijs Ecclesiæ  
consideranda sunt, Nam non solum hac in re ostendit Deus,  
aliam uitam restare, in qua iuxta promissiones amplissimas,  
uerbo diuino traditas, bene erit pijs: Nec tantum piorum  
fidem in Exilijs exercet Deus, ac ueterem in ipsis Ada-  
mum in suum obsequium cogit, atq; coercet, ne uoluptatibus  
huius momentaneæ uitæ immersus, æterna salute excidat:  
Nec ob hoc solum in diuersa loca extrudit suos, ut in pe-  
riculis summis summa eis præstet & miraculosa auxilia:  
Sed etiam propter hanc causam hoc fit, ut in pluribus locis



sancti cultores Dei, gratam, salutarem & gloriosam de  
Deo famam spargant, fontesq; scaturientes in æternam  
uitam, propagatione doctrinæ cœlestis effodiant. Euntes  
inquit Dauid, eunt, & portant preciosum semen. Venien-  
tes autem uenient cum exultatione, portantes manipulos  
suos. Describit sacer iste Vates Ecclesiam miserè ua-  
gantem in hoc mundo, sed circumferentem tamen saluificam  
doctrinam, quæ Margaris est, seu thesaurus in hoc mundo  
omnium præstantissimus. Neq; abit illa ipsa sparsio do-  
ctrinæ cœlestis, licet in ærumnoso Exilio, & quidem mul-  
tis lacrymis fiat sine fructu, id quod suo tempore, Christo  
nimirum in nubibus apparente, & iudicium de omnibus  
hominibus, quotquot unquam in hunc mundum nati sunt,  
ferente, patefiet.

Sic ego, licet in Ecclesia Christi minimus, in hæc  
Septentrionis loca forte non uenissem, nisi tempestas in  
Thuringicas Ecclesias exæstuans, cymbulam aliquot exu-  
lum ad hoc Balbicum littus propulisset. Sic scilicet non  
est uia hominis, nec uiri ambulantis dirigere gressus suos.  
Dei sumus creature. Christi sumus  $\alpha\theta\eta\eta\alpha$ . Spiritus fan-  
cti sumus serui. Collocet igitur ipse æternus & omni-  
potens Deus opera manuum suarum, & collocet quidem pro  
sua inmensa misericordia, quocumq; terrarum uolet, tantum  
ipse adsit suo perpetuo fauore, sua perpetua protectione et  
gubernat



gubernatione, ac tandem laboribus, quos ipse imponit, pie  
exanilatis, sursum nos sanguine Christi conspersos & lo=  
tos, in eternam patriam deducat.

Cum igitur non sponte mea, sed ita uolente atq; ordi=  
nante Deo meo, & legitime ab Illustrissimo Prusiae Du=  
ce D. Alberto Friderico, Domino nostro clementissimo,  
huius Scholae Nutricio, & a Statibus huius prouinciae  
uocatus, ad preciosum semen, ut loquitur Spiritus sanctus,  
spargendum, in hac sancta Academia accedam. Primum  
profiteor coram Deo, sanctis Angelis eius, & coram  
uobis omnibus, me toto pectore, amplecti sacra Ecclesiae  
Dei scripta in Biblijs comprehensa, eaq; omnium homi=  
num in hoc mundo scriptis antepone. Amplector &  
tria celeberrima Symbola, Apostolicum, Nicenum, &  
Athanasianum, Confessionem Augustae Anno Domini  
1530. Carolo quinto Romanorum Imperatori exhibi=  
tam, Smalcaldicos articulos, & Corpus doctrinae in hac  
ipsa prouincia comprobatum & aeditum. Testor simul  
me serio abhorre ab omnibus opinionibus & dogmati=  
bus, siue ueteribus siue recentibus, cum eo fundamento, de  
quo dixi pugnantibus. Discipulum Lutheri, quem aliquot  
annos in Schola & templo docentem audiui, me esse, ac  
mansurum esse Deo dante, non dissimulo.

Deinde



Deinde uero cum imbecillitas mea non sit mihi igno-  
ta, ac sine Christo nihil possim, ad orationem ut debeo, me  
conuerto, teque Iesu Christe, qui es sapientia patris æter-  
na, & Doctor humani generis perpetuus. Supplex oro, ut  
mibi Spiritum sanctum à patre & te procedentem, quem  
sanguine tuo preciosissimo mihi quoque peperisti, & cle-  
menter promisisti, benigne largiaris, qui me in omnem ue-  
ritatem ducat, illustret intellectum, regat iudicium, bene-  
dicat doctrinæ & institutioni, largiatur uires corporis  
& animæ, ut tuum sanctissimum Nomen celebrem, &  
plantule cœli in hac sacra schola succrescentes, te, cum  
patre & Spiritu sancto unum, ὁμοῦσίου, uerum, uiuum &  
omnipotentem Deum honore afficiant, ac sacrosanctum  
uerbi tui depositum incorrupte ad posteros transportent  
atque propagent. Da etiam grata Halcyonia teneræ iu-  
uentuti, & languidis senibus, retunde malorum spirituum  
& hominum nefarios conatus, ne seuis tempestatibus un-  
diq; ingruentibus, pia studia & Ecclesiæ tuæ iurbentur  
aut dissipentur. *Vespera nunc uenit, nobiscum Christe  
maneto, Extingui lucem nec patiare tuam.* Hæc pia uota,  
precor ut omnes per suo assensu & uoce subsequantur atque  
confirment: Amen.

Iam porro consuetudo huius Scholæ, cui parendum est,  
postulat, ut aliquam præfationem enarrationi sacrarum li-  
terarum præmittam.

Omissis



Omissis igitur materijs, quæ occurrunt plurimæ, In  
præsentia, de ARCA NOAH breuiter quædam re-  
petere & commemorare, institui. Pingit enim ea histo-  
ria perpetuam Ecclesiæ Dei formam, ut quæ sit maximis  
periculis & tempestatibus in hoc quidem mundo semper ex-  
posita, & duret tamen mirabiliter eam protegente dextera  
Dei, Duret autem uelut in arca Dei, hostibus, qui fo-  
ris tumultuantur & errant, Vndis pœnarum diuinarum  
quasi exundationibus quibusdam subinde intereuntibus.  
Peruulgata quidem est hæc materia, nobisq; omnibus sine  
omni dubitatione quam notissima, sed referta est tamen  
plurimis grauissimisq; commonestrationibus & doctrinis,  
quarum recordationem pijs mentibus spero non iniucun-  
dam esse futuram. Peto igitur amanter, ut pro uestra  
æquitate & humanitate, quæ eruditos homines in primis  
decet, me de ueteri & memorabili historia pauca afferen-  
tem, benigne & patienter audiatis.

Diluuium uniuersum terrarum orbem penitus obru-  
tum, ac deletis omnibus hominibus & terrenis animalibus,  
horribiliter deformatum ac penè multis in locis quasi sepul-  
tum esse, tantum seruat is quatuor paribus hominum, & spe-  
ciebus animalium, quæ amphibia non essent, antiqua & fide  
digna historia à Mose descripta, liquido testatur.

Sed opere præcipuum est audire, quænam tantæ istius  
C cladis



cladis causse extiterint, & quale hoc fuerit opificium, quod in istis undis mansit saluum ac integrum, & quid in ea domuncula fuerit, & quenam eius gubernatio, ut potuerit annum totum in aquis perdurare atq; enatare. Hisce cognitis, etiam ipsa typi ratio facilius patebit & illucescet.

Pœnas, in genus humanum exundantes, ex ira DEI iusta promanare: Et iram DEI peccatis hominum concitari atq; accersi, nemini quantumuis barbaro dubium esse potest, quia cordibus humanis ista principia sunt adhuc aliquomodo inscripta. Et regula ex perpetua experientia nota est: Atrocita delicta comitari atroces pœnas etiam in hac uita.

Cum igitur non extet in hoc mundo maior & horribilior hominum calamitas, quam diluuium, in quo exceptis octo, omnes in omnibus plagis mundi homines, simul undis suffocati ac perditii sunt, necesse est sanè atrocita & planè horrenda fuisse peccata, quæ tantum Dei iudicium commeruerunt. Nam DEUS est iustus iudex, ut Psalmus loquitur, ac nemini facit iniuriam. Tria autem capitalia quasi peccata Moses assignat, quibus Deus est tantopere irritatus.

Primum quidem libidines inordinatas, seu prophanationem & confusionem coniugij annotat. Ait enim filios Dei, in uera scilicet pietate à sanctis parentibus fideliter educatos,



educatos, filias hominum, hoc est impias duxisse in uxores, & quidem ex omnibus **QVASCVNQVE** uoluissent.

Miranda sane erat Dei ordinatio, ut ex copulatione maris & foemine, homo ex homine nasceretur, & quidem animal rationale & aeternum, quod Deum recte cognosceret & λογικὴν λατρείαν ut Apostolus loquitur, coleret. Nihil igitur sanctius eo ordine propagandi homines fuisset, si natura humana mansisset integra, uti initio a Deo erat condita. Sed proh dolor post lapsum primorum hominum, subsequuta est horribilis deprauatio & ἀνάγκη humanae naturae.

Nam uti Diabolus est impurissimus spiritus, ita naturam humanam repleuit inordinatis, turbidis ac uiciosis flammis libidinum, & spurcis pruritibus carnis, eoque pacto infandum in modum generationis ordinem turbauit.

Nihil hic dicam, quomodo post diluuium quoque incitauerit homines, ut historiae testantur, ad polygamias & obscenas uoluptates, ad promiscuos concubitus, ad prostitutionem Matronarum & puellarum religionis praetextu, ad sponsarum deflorationem per Magistratus aut sacerdotes, ad prostibula publica, & alias foeditates, quarum recitationem mens mea & oratio reformidat & abhorret.

Hoc igitur scelus, quo castissimus Deus offensus est, quia hominibus est conspectius, primum recenset Moses.

C z

Verum



Verum addit secundo loco istius mali interiorem scaturiginem, nempe superbum uerbi diuini poenitentiam denunciantis fastidium: Inquit enim, Homines noluisse amplius admittere reprehensionem spiritus Dei, ac singularis est Emphasis in uerbo Iadan, non iudicabit uel arguet aut rixabitur Spiritus meus in homine. Aspera enim est legis uox, arguens hominum delicta. Potentiores aut ferociores nolunt sese redargui, aut ut ipsi loquuntur deformari & clamantibus & uiris rixarum, ut Ieremias nominabatur. Deus igitur uicissim significat, se quoque tædio affici, quod cum illis peruicacibus hominibus tam diu debeat quasi in iudicio contendere & altercari.

Hæc igitur prauitas naturæ humanæ, fons est omnis impietatis. Vbi enim doctrina de poenitentia non amplius locum habet, & uigiles Domini factuose retunduntur, ne uideant, neue stillent super peccatores maledictionem, ut est in Propheta, ibi omnis timor Dei extinctus est, & in uacuo quasi theatro regnat spiritus malignus, qui sua mancipia ad omnis generis peccata instigat atque propellit. Ac mirum Dei iudicium uidere est. Fornicationes corporales, plerumque coniunctæ sunt fornicationibus spiritualibus, hoc est, ubi falsa dogmata dominantur, uel contemptus uerbi diuini grassatur, & odium in serios legis concionatores exurgit atque inualefcit, ibi etiam libidines horribiles crescunt &



cunt & regnum consequuntur, id quod in historia populi  
Israelitici, Numeri 26. atq; adeo in ipso Papatu etiamnum  
est manifestum.

Tertium peccatum est tyrannis, iniqua uidelicet iudi-  
cia, rapinae, oppressiones innocentum, & praesertim conci-  
onatorum legis diuinae. Videntur enim isti homines into-  
lerabiles in communi hominum uita, qui sine discrimine tam  
pauperes quam diuites, tam subditos quam reges de pecca-  
tis tam licenter, uti uidetur, accusant, iramq; Dei ipsis  
tanta plerophoria denunciant, nisi seriam & maturam  
agant poenitentiam. Sic scilicet libidines comitantur con-  
temptum uerbi, & haec duo subsequitur e uestigio, quasi ter-  
tia furia tyrannis, seu licentia quidlibet audendi & perfici-  
endi.

Hisce igitur peccatis passim in orbe terrarum longe  
lateq; inualescentibus, uoluit Deus insigne exemplum irae  
suae grauissimae contra ea publice aedere, in quod omnis  
posteritas intueretur, ac uere statueret, Deum uidere ho-  
minum scelera, ac serio ea odisse, detestari, ac uelle punire,  
tum in hoc tum etiam in futuro seculo.

Christus haec ad nouissima quoq; huius mundi tem-  
pora transfert. Ait enim eadem peccata inter homines  
grassatura esse, quae temporibus Noah, Ea uero non ac-  
cersent aliud diluuium, sed iudicium tamen Dei longe seue-  
rissimum



rissimum afferent, quo scelerati & impij omnes, in paludem infernalem submergentur, nunquam inde emersuri. Verum in historia progrediamur.

Noluit autem Deus pro sua seuera seu legali iusticia, uniuersum genus humanum funditus excindere ac delere, sed suae irae iustissimae & poenis grauissimis, aliquam Misericordiam interspergere, & aliquod semen hominum pristinorum retinere uoluit, quia antequam huius mundi fundamenta iacerentur, ut sanctus Paulus docet, decreuerat, per filium unigenitum, factum hominem, sibi genus humanum reconciliare, ne prorsus periret quod condiderat.

Patefecit igitur decretum suum diuinum sancto suo cultori Noah, quod ipso tantum, & liberis ipsius, & uxoribus exceptis, diluuium statuisset homines reliquos omnes, nisi agerent poenitentiam, de medio tollere, & uastare totam terram, etiam uolucris, brutisque animalibus terra uiuentibus deletis, ac tantum specierum paribus relictis, ut grauitas irae diuinae contra hominum peccata, publice extaret.

Ut autem immensae Dei misericordiae & clemetiae memoria in omnem aeternitatem usque manifestius celebraretur, ipsum Noah publicum ordinat praekonem, qui hanc Dei uoluntatem, de seuera ultione impietatis & scelerum



scelerum in genere humano per diluuium, publica uoce de-  
nunciaret, omnesq; ad poenitentiam reuocaret. Perpetua  
enim est hæc uox Dei, *Uiuo ego, nolo mortem peccato-  
ris, sed ut conuertatur & uiuat.* Concedit insuper Deus  
ultrò spacium conuersionis ad sese, satis longum, nempe  
centum uiginti annos. *Tardus enim est ad graues uindi-  
ctas Deus, At tarditatem poenarum in impoentibus,  
postea grauitate ultionum compensat, id quod & in hac hi-  
storia uidere est.* **XIII**

Præterea ne proprio consilio aut arbitrio quicquam  
moliretur Noab, ipse Deus tanquam sapiens & peritus  
Architectus, delineationem quandam opificij oratione  
perspicua depingit, estq; eiusmodi.

Iubet eum fabricare Arcam quadrangularem, cuius  
lōgitudō sit trecentorum cubitorum, latitudo quinquaginta,  
altitudo triginta. Continet autem cubitus usitate quinque  
palmas, licet legali sex tribuantur. Proportio sanè miran-  
da est. Nam sextuplo longitudo latitudinem, altitudinem  
uero decuplo excedit. Rationes eius rei alij rimētur. Mi-  
raculoso autem instituto, miraculosum ædificium conuenie-  
bat. Omnino enim Domui ista structura similior est, quàm  
naui, unde et Thebath à Deo nominatur. Ac prorsus tale  
ædificium ratio humana iudicasset parum esse idoneum, ad  
nauigationem in undis tam longo tempore tumultuantibus,  
continuaudam. Nam



Nam quicumq; primi illi fuerunt, qui naues inuenere,  
partim exemplis, partim ratiocinatione quadam usi uiden-  
tur. Conspexerunt enim conchulas quasdam in aquis na-  
tare posse, praesertim aliquo artificio gubernatas. Ad ea-  
rum igitur imitationem uaria nauicularum genera constru-  
xerunt. Deinde ratio docuit, proram nauis oportere esse  
angustiore, ut facilius penetrare aquas possit, puppim ali-  
quanto latiore, in medio extensionem mediocrem oneri-  
bus seruire, & natationem aliqua ex parte iuuare, Cari-  
nam rursus ex utraq; parte contrahendam, ut quasi inuerse  
domui Nauis sit similis, quo facilius sulcare undas, & su-  
perior pars quasi incumbere aquis possit. Ars postea &  
usus quoq; instrumenta addiderunt, ad gubernandam nauim  
rudera seu clauus, ad extrahendam aquam canales, ad pro-  
mouendam istam molem uela, ad sistendam ancoræ, ad cur-  
sum certum tenendum Instrumentum Compassi uti uulgo no-  
minant, sunt inuenta.

At istud Thebath nihil talium reru habet. Carina plana  
& lata est, prora puppi æqualis, clauo & uelis omnibus  
destituitur, totaq; forma representat arborem sectam,  
absq; radicibus & ramis in aquis natantem, seu potius fe-  
retri rationem exprimit, quia mortis speciem exhibet, ac  
reuera homines & reliqua uiua animantia omnia, in Arca  
ueluti Sarcophago seu loculo inclusa uidentur, ubi pereun-  
dum eis



dum eis omnibus fuisset, nisi clementissimus Deus in hisce  
faucibus mortis ea uoluisset in uita conseruare. Sed uoluit  
Deus rationem humanam etiam hac in parte confundere,  
& ostendere quod plura intelligat, pluraq; possit, quam  
sapientia humana comprehendat. Aliqui obseruarunt  
Arcae formam & proportionem, hominis supine iacentis  
ac porrecti in longum figuræ non absimilem esse, ex Au-  
gustini fantasia occasionem arripientes. Verum ista ui-  
demur paululum subtiliora & longius petita. Pergendum  
nobis est.

In externa Arcae forma & fenestram in medio sum-  
mitatis fieri uolebat Deus, unde aliquid lucis in totam ar-  
eam irradiaret, & aër uitæ Animantium necessarius, in-  
funderetur. Minus autem iniuriæ à uentis & fluctibus,  
fenestræ inferri poterat, quia in suprema parte istius ædi-  
ficij posita erat. Angustia autem, quia cubiti unius spacio  
tantum patebat, necessitati seruebat. Ostium in latere po-  
ni uolebat Deus, loco proculdubio paulò excelsiore, ut  
supra undas nonnihil extaret. Altitudo autem & latitu-  
do eius nõ sunt descripta, quæ quidem talia fuisse necesse est,  
ut Elephantes & boues & equi, aliaq; animalia grandiora  
potuerint ingredi. Habuit & Arca tectum, proculdu-  
bio sic incuruatum aut acuminatum, ut aquæ illabentes  
possent defluere. Iste igitur erat externus istius domus  
aspectus.

D

Intus



Intus uero tria intersticia per longum, & in ijs Nidos, hoc est, Cameras seu receptacula uoluit edificari Deus, in quibus homines & animalia degere, & res uictui necessariae reponi possent.

Erant autem istae cellulae tali ratione ponendae, ut ad omnes Noah posset accedere. Unde liquet transitum debere fieri per longitudinem, forte ut in coenobijs uidemus.

Materiae Arcae sunt arbores, quas Gopher nominat Moses, easque pro abietibus, alij pro Cedris, alij pro Terebinthis interpretantur, id quod nos non in magno discrimine ponimus. Notam sine dubio arborem indicauit Deus, quae idonea esset ad hoc aedificium. Vult & Gopher seu bitumine fideliter liniari hanc arcam Deus, contra uim aquarum. Verosimile autem est in campo Damasci hoc aedificium extructum esse, Nam patres circa eum locum plerumque habitauerunt, quia recordati sunt, ibi primos homines a Deo esse conditos: Non procul autem aberat Libanus, ex quo arbores idoneae peti poterant. Praeterea Naphta siue bitumen in illis regionibus sponte nascebatur, ut non difficile esset ipsi Noah, praecipuam Arcae materiam conquirere. Sed de loco cum nemine litigabimus. Non enim ignoramus alios alium locum designare.

Iussa autem diuina summa promptitudine & fide capessit & exequitur Noah. Curat arbores in syluis caedi,  
plaustris



plaustris aduehi, serra quasdam scindi, alijsq; modis ad  
usum præparari, Deoq; benedicente & regente offerun-  
tur ei Architecti intelligentes & periti, qui ad illam Idæ-  
am, quam eis sanctus pater uerbis & lineis adumbrabat,  
exactè singula construere & adornare possent. Pedeten-  
tim tamen res procedit, ut fieri solet in magnis operibus,  
nec tamen ipse cunctatur.

Dum autem ista agit, non intermittit suas in Ecclesia  
sanctas operas Noah, docet publicè quid iste conatus sibi  
uelit, monet omnes de poenitentia, clamat posse Deum pla-  
cari, & istas calamitates omnes auerti, modo homines ue-  
ram agant poenitentiam. Eiusmodi enim comminationes  
poenarum, semper habere exceptionem poenitentiae, Grati-  
am Dei exuberare supra peccata hominum. Sed surdis  
quod dicitur, fabulam narrat. Rident pleriq; istius quasi  
deliri senis machinationem. Nam omnia uidebantur eis  
fanatica: Aquarum supra totum orbem terrarum inun-  
datio, cum Deus manifesto suo uerbo mari terminos sta-  
tuisset, quos egredi non posset: Omnium hominum dele-  
tio, tantum paucis seruatis, cum Deus omnium sit condi-  
tor, & non uideatur ad perniciem tantam hominum multi-  
tudinem creasse: Arcæ ipsius mirabilis structura, quæ  
neq; domus uera, neq; nauis esset, sed speluncarum potius  
similitudinem referret, opacis quibusdam cellulis siue

D 2

anfractis



anfractibus horrificam. Augebat istam hominum securi-  
tatem & exibilationem istius operis, tam longi quoque tem-  
poris dilatio. Multi enim priusquam diluuium ingrueret,  
e uiuis excedebant, Multi succrescebant, qui somniabant  
maiorum suorum felicitates & aurea plane secula. Sed  
non patitur sese istis sarcasmis, cauillationibus, ludibrijs,  
alijsque innumerabilibus aduersitatibus filiorum huius se-  
culi, uir pius, Deum timens, eiq; ueritatem plena fide at-  
tribuens, a semel coopto opere absterreri, nec desinit do-  
nec operi incoato iuxta Dei iussione[m], extremam manum  
imposuisset.

Stat igitur iam Thebath seu Arca ex precepto Dei ex-  
tructa, in conspectu totius orbis terrarum. Et stat pro-  
culdubio aliquot annos, preparata ad diluuium, de quo  
tam longo tempore Noah publice fuerat concionatus.

Quid autem tandem in Arcam uacuam, iam tantis la-  
boribus tantoque artificio paratam, immigrat, quid in eam  
importatur? Cum enim euentus doceat, diluuium tandem  
ingruisse, omnino operæ precium est cognoscere, quinam  
ueluti ciues in hac republica salui ac incolumes perman-  
serint.

Finis autem præcipuus istius Arcæ, uti dictum est,  
iste erat, ut seminarium aliquod generis humani in ea sale-  
uum maneret, idque propter promissionem de Messia, con-  
trituro



trituro caput serpentis, & allaturo benedictionem per-  
ditis hominibus. Sed quia & animalia in usum hominum a  
Deo essent facta, uoluit Deus & animalium species, quæ  
quidem in aquis seruari non possent, in arcam simul reci-  
pi, eaq; in quatuor quasi turmas Moses distribuit, nempe  
in feras, iumenta siue domestica animalia, in reptilia, & in  
uolucres.

Conquisiuit igitur Noah iussu Dei undiq; magna se-  
dulitate species illas animalium ex diuersis regionibus,  
quia alia animalia alia loca expetunt & amant, quibus ui-  
tam agunt. Ac sanè credibile est, Deum brutis quoq; im-  
perantem quæcunq; uult, ex longinquis etiam locis iussisse  
quædam animalia ad Noah ultro accedere, seseq; ei sistere,  
perinde ut olim Adamo protoplastæ animalia pulcerrimo  
ordine sese contemplanda præbebant, ut suos quasi subdi-  
tos agnosceret, eosq; conuenientissimis appellationibus or-  
naret. Prout igitur animalium species consecutus est ue-  
nerandus iste Senex, ita eas in arcam iuxta Dei præceptū  
studiosè deduxit, & in destinatas cellulas siue habitationes  
inclusit, postea & necessario uictu eis prospexit. Sæpius  
igitur in eam domunculam ipsi reptandum fuit. Non enim  
uno die perfecit omnia. Considerauit diligenter inspectis  
cellulis, quas species collegisset, quæ adhuc desideraren-  
tur.



De singulis autem speciebus animalium terrestriū & uolatilium, ex immundis unum par, hoc est marem et foeminā introduxit, ex mundis uero septem, ut nimirum cessante diluio mox haberet, unde posset Deo sacrificia exhibere, & insuper ut citius munda animalia multiplicarentur.

Iam singularis artis & prudentiæ fuit recte distribuere & collocare illa diuersa Animalia. Noluit enim Deus ea temere misceri, sed Nidos quasi iussit distingui, ut quælibet suum receptaculum, suamque stationem pro cuiusque natura haberent.

Opinor autem grauißima animalia in unum locum Arcæ detrusa esse, ut sunt Elepbantes, Rhinocerotes, equi, uaccæ, boues, cerui, leones, pantheræ, ursi & similia, forte & serpentes ac dracones in infimum locum Arcæ abiecta sunt, ut paulò longius ab intuitu hominum abessent, In medio tabulato minora animalia hospicia sua habuisse uidentur, ut sunt oues, capræ, uulpes, lepores, damæ, & alia eius generis. In supremo palatio pennigeræ aues, suis tamen distinctæ cauernis, regnum tenuerunt.

Conuexit & uarios cibos mandato Dei in Arcam istam Noah, ad nutritionem tot uiuorum animantium, quos quidem in suas quoque Apothecas seu horrea reposuit.

Potus uero, ex undis quotidie tractus uidetur.

Aequa



Equabilis autem dispositio animalium & ciborum,  
ne in una parte plus iusto onerata Arca subsideret, & le-  
uiore partes secum sub aquas pertraheret, insignem sapi-  
entiam, artem & diligentiam Noah ostendit. Videmus  
enim singulari industria nautas, iuxta ponderum aestimatio-  
nem, naues mercibus implere, ne una pars sit altera graui-  
or. Singulari autem instinctu Dei hoc loco omnia gesta  
esse, nemo non animaduertit.

Hisce igitur omnibus comparatis & constitutis, tan-  
dem & homines, quos Deus de cunctis alijs ex immensa mi-  
sericordia selegerat, pluuijs undiq; irruentibus, sese in Ar-  
cam recipiunt, ac Deus ipse foris ostium firmissime clau-  
dit, & contra aquas obstruit ac munit.

In eo igitur Claustro sunt octo homines, non Monachi,  
sed quatuor paria coniugum, ut Noah cum coniuge, Titea  
ut Berofus nominat, & tres eius liberi, Sem, Cham & Ia-  
phet cum suis uxoribus, Pandora, Noëla, Noëgla, si ta-  
men Beroso in his appellationibus fidendum est. Reliqui  
uero homines in uniuerso mundo omnes, foris relinquin-  
tur, fluctibusq; seuis undarum obijciuntur strangulandi et  
interficiendi. An uero in ea magna pereuntium multitudi-  
ne fuerint aliqui pii, qui simul calamitatibus illis publicis  
impliciti atq; obruti fuerint, Deus nouit. Plures quidem  
in Arcam recipi, Deus pro suo arbitrio uetuit.

Credide-



Crediderim porro, in supremo tabulato homines prope auiculas, suas peculiare habuisse cellulas, aut loca ad commorandum non incommoda.

Sed quid egerunt uiue illæ creaturæ in Arca, & in primis quid homines totius anni curriculo negocij haberunt? Id quoque paucis, quantum quidem scire uel etiam coniectare licet, annotabimus.

Bruta animantia in suis stabulis sese continent, & quiete uiuunt. Qui enim leonibus ora postea conclusit, ne Danielis, quantumuis famelicæ essent illæ bestie, ullam inferrent iniuriam, is etiam in hac Arca feras illas rexit, ne sua septa uirum perumperent, aut prædam ex uicinis locis raperent. Non inter sese mouent tumultus, ne aliquid periculi inde fluitanti Arce nasceretur. Nec in homines impetum faciunt, qui uictum eis adferunt, licet suo more ad ortum Solis leo rugiret, ut in cauitate Arce omnia resonarent, & equus interdum hinniret, ursus intra se murmuraret, bos mugiret, & canes latrarent. Ista tamen reliqua animalia non terruerunt, quia senserunt à Deo sibi securitatem concessam esse.

Cibus sibi appositus, contenta sunt omnia animalia, quia Deus pascit & benedicit. Non enim tantum mediæ re, sed etiam miraculose pascuntur, ita ut tot animalibus, cibus in arcam congestus, sufficeret.

A multis



A multiplicatione speciei in isto quasi carcere toto anno præter Naturam abstinent, quia non tantum perpetua Arce fluitatio atq; concussio, sed in primis uoluntas Dei id impediabat. Ac mirum dictu, toto hoc tempore, quo in undis natant, non corripitur morbo, nõ moritur ultimum animal, sed salua, uegeta, firma, diuinitus sustentantur omnia.

Interdum, præsertim Vere & æstate, quando radios Solis per fenestram conspexerunt sonoræ auiculæ, dulce melos fuderunt, imò & in opacis locis quædam solent cantillare.

Noctu uerò Gallus domesticus, uigiliarum interualla pro sua alacritate clara uoce notauit.

Actiones autem hominum in Arca, fuerunt excellentiores. Primum enim Noab fuit quasi supremus Episcopus, patria auctoritate, & sacerdotio excellens. Is igitur fuit concionator domesticus, obseruauit religiose diei Sabbathi sanctificationem, ac habuit quotidie mane & uesperis suas horas, quibus sapienter & grauius suam Ecclesiam erudiret de Deo, de lapsu primorum hominum, de poena præsentis, quod diluuium sit ultio diuina contra peccata hominum, de promissione Seminis benedicti, & quod hanc ipsam ob causam in Arca nunc homines conseruarentur, quia posteritati Adæ sit promissus Saluator, de inuocatione:

E

catione:



oratione Dei, de gratiarum actione pro acceptis beneficijs,  
de uitandis delictis cum lege Dei pugnantibus. Sacrificia  
autem propter instantem necessitatem suspenduntur, donec  
iterum ex undis eluctati essent.

Deinde preces suas quotidie, mane ac uespere, aut  
quoties eis potestas data fuit, aut senserunt in periculo esse  
domunculam suam, magno fidei ardore coniunxerunt. Nam  
plurima mortis imago eis semper ob oculos uersabatur.  
Foris sciebant omnia uiua animalia aquis mergi & suf-  
focari. Nec fuerunt a se ipsis. Recordati sunt suorum pro-  
pinquorum, amicorum, familiarium. Audierunt initio  
miserabiliter in undis uociferantes, adnatantes ad Ar-  
cam interdum, & auxilium implorantes. Verum quia tem-  
pore gratiae non audierant Deum concionantem ministe-  
rio Noah, itaque nec iam exaudiuntur, neque erat integrum  
incolis Arcae, ostium reserare, quia Deus ipse clauserat atque  
obfirmarat. Non tamen dubium est, quin gemitus suos ad  
Deum effuderint, ut aliquos in medijs hisce poenis clemen-  
ter conuerteret, ne aeternas quoque poenas subire cogerentur.

Postea Oeconomiam optimo ordine, & singulari  
dexteritate & diligentia administrarunt illi homines.  
Distribuerunt enim cuilibet coetui animalium in suis clau-  
stris, sua competentia pabula, ubi quidem necesse fuit eos  
circuire totam arcam, et singulas animalium cellas quotidie  
inuiscere



inuifere, & cuilibet suum demensum exhibere. Forte uiri  
grandioribus & immitioribus animalibus uictum attule-  
runt. Minora & mansuetiora, ut ouiculas, uaccas, aui-  
culas, mulieres paucorum & curarunt. Iusserat enim Deus  
ad eum usum omnis generis cibos conuehi ac recondi. Ma-  
nifestum igitur est, ualde industrium & peritum condum  
& promum Noah fuisse.

Hisce igitur laboribus ignauium otium pellitur, & ua-  
letudo eiusmodi exercitijs est uegetior.

Mirum autem & hoc est, quod homines quoq; a mul-  
tiplicatione suæ speciei abstinent, proculbio quasi publici  
luctus tempore. Nam multi cognati ipsorum in hac exun-  
datione perierunt. Præcipue uero in Dei uoluntate ac-  
quieuerunt. Fabulas autem Iudeorum & aliorum Nuga-  
torum, hic omittimus.

Verum quæ fuerint incrementa aquarum, & quæ to-  
tius Arcæ gubernatio inter istos tantos fluctus fuerit,  
similiter breui commemoratione repetendum est.

Elapsis igitur centum uiginti annis, post reuelatam hanc  
totius Mundi pænam, statuto die, omnibus in Arcam quasi  
in tutum locum, prouidentia diuina receptis, ecce pluuiæ  
uehementes passim in terram ruere incipiunt, idq; accidit  
anno à condito mundo 1656. Vitæ Noah sexcentesimo,  
secundo mense Iar, id est in Maio, cum filij huius mundi

E z

nihil



nihil minus metuerent, die decimo septimo. Alij in Marhe  
suan transferunt, id est ad Nouembrem, recentium Iudæ-  
orum rationem in numerandis mensibus spectantes. Sub-  
inde autem magis magisque crescit inundatio, Nam catara-  
ctæ cœli hiant, largamque effundunt aquam, & fontes abyssi  
iussu Dei rupti, immensam aquarum uim egurgitant atque  
ebulliunt. Mare enim ueluti repagulis remotis, liberrime  
in terram expatiatur, & fontes gaudent quicquid habent  
aquarum, magno impetu in altum extrudere. Nam alioquin  
naturaliter aqua locum supra terram affectat, ac solo Dei  
uerbo intra metas suas cogitur, atque in ijs retinetur.

In tantam autem altitudinem conglomatur & assur-  
git tota undarum moles, ut quindecim cubitis altior cunctis  
montibus in uniuerso terrarum orbe steterit: id quod ex  
Dei patefactione peculiari, postea Noah innotuit: ne  
quid de Animantibus terrenis uiuum relinqueretur. Nam  
ira Dei exardescente, nihil manet incolume, nihil saluum,  
nihil stabile.

Quadraginta igitur dierum continuis pluuijs aucta  
aqua, humo leuat Arcam, quæ iam sublimis natat & fluitat.

Gubernatio autem ipsa, plena est plurimis diuinis mi-  
raculis. Nam foris in Arca nullus est malus, nullum ue-  
lum, nullum gubernaculum, nulli remi. Intus animalia, uelu-  
ti in stabulis continentur, ac patiuntur sese circumuehi.

Homines



Homines quoque Arcam ingressi, nullo consilio, nulla opera cursum Arcæ adiuuant, nec sciunt quonam locorum ferantur.

Arcam uero ipsam eaque ingentia innumera pericula excipiunt atque circumstrepunt. Nam undæ tanto cum impetu delabuntur in Arcam, ut uideantur eam penitus submersuræ, id quod in locutione Mosis, præualuisse aquas, eruditi obseruauerunt.

Infra Arcam autem et undas, passim excelsi montes, acuti scopuli, et saxa immania latitant, quæ neque prospicere, neque cauere sua propria industria uel arte poterat Noah, tamque ut in suo latissimo regno, liberrime spaciantur et uagantur uasta et uaria monstra marina, ceti, balenæ, tauri, serpentes, remoræ, et similia. Neque ulla alia nauis toto hoc ponto cernitur, unica ista Arcula furoribus omnium balenarum exposita est. Venti præterea non sinunt hanc Arculam, sacris Ancoris destitutam, in hoc tam tempestuoso mari, uno loco consistere. Iam igitur super Asiam, mox super Aphricam, iam super Europam, paulo post super Americam fluitat hæc Cistula, et quasi hinc inde, ut errabunda auicula uolitat.

Nec defuit tot Diabolis ex cælo post lapsum deturbatis, uoluntas et consilium nocendi hominibus, eosque uno quasi biatu absorbendi atque perdendi, præsertim tam arcte in tam paruum cistulam reductos et conclusos. Mora



Mora præterea in aquis fluitandi, periculum isti domuncule summum gignit, ne alicubi fatiscens, aquis receptis in inum fundum submergatur.

Quis igitur regit hanc miseram & uagam cistulam, quis inter tantos fluctus eam defendit & conseruat? Res manifesta est. Manu altissimi & omnipotentis Dei, ista omnia geruntur & perficiuntur iuxta datam promissionem.

Stat filius Dei unigenitus & æternus in prora, increpans uentum & mare, frangens fluctus spumantes, & monstra marina abigens tanquam fortis & fidelis propugnator & redemptor generis humani. Spiritus sanctus in medio Arcæ istius, ueluti expansis alis uentos excipit ac regit. Pater celestis ad clauum consistens, pro suo beneplacito domunculam quo uult dirigit ac ducit. Liceat autem nobis ueram præsentiam, curam & protectionem Dei hisce uerbis celebrationis gratia, paululum prædicare. Sancti Angeli socij sunt hominum, moderantur feras, ut suis quasi stationibus sese tranquille contineant, neq; excitent turbas, propulsant machinationes Diabolorum.

Hisce igitur patronis ac rectoribus, & cistula & omnes eius incolæ custodiuntur, ne quid damni accipiant. Dauid pulcerrime canit, Qui habitat in abdito altissimi, & in umbra omnipotentis commoratur, dicit Domino, spes mea & munitio mea. Item tempora nostra in manu tua sunt.

Quia Angeli  
officia }

Etiam

Etiam



Item, mirificat Dominus sanctos suos, hoc est sæpe præter  
ter & contra causas naturales miraculose seruat. Ve-  
rum ista transilienda sunt, ne immodicè crescat oratio.

Quis uero est tantarum rerum euentus? quando? quo-  
modo diminutæ sunt aquæ, & captiui iterum restituti suæ  
libertati? Hæc nunc ordo rerum suggerit.

Totis quadraginta diebus aquæ coelitus delabentes,  
& subitus scaturientes, omnesq; passim limites suos trans-  
cendentes, ut pote uinculis suis iam uerbo Dei omnipoten-  
tis laxatis atq; remissis, in unum mare, terras omnes exce-  
dens atq; contegens, coierunt.

Postea centum quinquaginta dies, unam & eandem quan-  
tatem atq; altitudinem aquæ istæ omnes, suo quasi proprio  
loco nunc consistentes ac triumphantes, obtinent, stratosq;  
atq; extinctos homines omnes, uolucres omnes, reptilia ter-  
rena omnia, animalia omnia, pondere suo quasi uictis insul-  
tantes premunt. Hæc Noah pro sua pietate & uigilan-  
tia, accurate obseruat et considerat omnia.

Hoc autem exacto spacio, ecce Deus uentū uehementem  
humidis istis atq; superbis aquis, ueluti potentē gubernatorē  
emittit, qui suo imperioso flatu eas paulatim retrō cedere,  
atq; intra sua litora recurrere cogit. Nam uento isti uo-  
luntas et iussio Dei, cuius quidē arbitrio liberrimo omnes  
creaturæ parere cogūtur, robur addit et efficaciam. Ingētes  
itaq;



itaq; & spumantes fluctus, in tam amplo ac vasto mari re-  
sonantes atq; frementes, auditu percipit Noah, & tempe-  
states illas horrissonas extimescit quidem, ut homo, sed quia  
fide intuebatur Dei opera, ideo mirandam istarum rerum  
mutationem, atq; clementem liberationem iam animo suo  
coniectare incipit, suosq; solatur: oportere istos terrifi-  
cos uentos praecedere, domunculamq; paulisper iactari,  
postea secuturam esse gloriosam liberationem. Eam enim  
perpetuam esse consuetudinem Dei, ut prius humiliet quam  
glorificet, prius deprimat quam extollat, prius terreat  
quam consoletur, prius mortificet quam uiuificet. Iussit  
autem suos in ardenti inuocatione Dei sine defatigatione  
persistere.

Septimo post eam maris agitationem mense, & quidem  
decimo septimo eius mensis die, ecce Arca in montibus  
Ararat illidit, atq; inter ea iuga, quasi in portu carina sua  
adhaerescit, licet nondum montes illi conspici possent. Nam  
aliquot ulnas, propter suam grauitatem Arca in undis na-  
tabat, sicut & naues onustae solent. Sentit igitur Noah,  
iam aliquot cubitis, quibus excedebat diluuium montes in  
mundo altissimos, decreuisse, iamq; animo hilari enatio-  
nem atq; euasionem plenius concipit atq; praesagit. Hic  
igitur uentis terminus statuitur, ne ulterius Arcam per  
orbem terrarum circumagitant, quamuis fluctuum allisiones  
& impe-



Et impetus ad montes, non exiguos pauores incolis Arcæ  
incuterent, donec quidē ea in undis adhuc nonnihil subsistit.

Disputant autem nonnulli, hosce montes non esse in  
Armenia, ut Iosephus et alij pleriq; autumant, sed ulterius  
in Asia haud procul ab India. Et Goropius quidem colli-  
git, in parapaniso seu Caucasi iugis, hæsisse arcam, quia illi  
montes sint altissimi in Asia, et respectu terræ Sennear  
uersus orientem siti, unde Noab posteritas uersus occi-  
dentem postea commigrauit. Sed eiusmodi disputationes  
in præsentia præternauigabimus.

Decursiones autem istæ ac ueluti reciprocae fugæ  
aquarum, tres integros menses, anni nimirum Quadrantem  
durant, sollicitè proculdubio aspiciente hoc DEI opus  
Noab, et sæpius iterante preces, ut Deus trepidantes  
homines, ac penè iam multis pauoribus exanimatos, ex istis  
periculis et quasi faucibus mortis, pro sua immensa mise-  
ricordia eripiat.

Decimo igitur mense hoc est Tebeth, qui respondet  
nostro Ianuario, et quidem primo eius die, iam tandem ca-  
cumina montium apparere incipiunt.

O quàm sæpè de fenestra optimus senex prospecta-  
uit, ut tam lætum nuntium de uisa iterum terra, suis liberis  
posset denunciare. Certus enim erat ex promissione Dei,  
hanc inundationem non fore perpetuam, licet tempus suæ

E

liberatio=



liberationis exacte non haberet cognitum. Supputavit igitur omnia solerter et fideliter. Notavit lunæ phases, ortus Solis, pro sua pietate & eruditione excellenti, eaq; omnia posteritati sæpius exposuit, ut hæc miraculosa Dei beneficia memoria perpetua teneret ac prædicaret.

Expectat autem Noah adhuc quadraginta dies, hoc est ad undecimum usq; Februarij, quotidie aquas paulatim decrescentes, magno cum desiderio eluctandi intuens, cumq; mora uideretur sibi diuturnior, aperta fenestra nuntium placuit emittere, exploratum, an alicubi terra exiccata esset, ea ratione, ut aves ibi degere possent. Coruum igitur per illud foramen euolare sinit, forte, quia sciebat cum prædis inhiaturum, & cadaueribus inuentis, facile uitam sustentaturum, donec aquæ omnes terra discessissent: Ea igitur re cognita, se coniecturam de arefacta terra capere posse. Verum coruus ille emissarius, loetus in aërem fertur, passimq; uagando lustrat omnia, sicubi terram conspiceretur, ubi pedem figere posset. Sed undis passim stagnantibus, & cacuminibus montium adhuc udis ac luto plenis, forte & fumosis nebulis coopertis, Coruus subinde ad arcam quietis gratia, licet inuitus se recipere cogitur. Non tamen *ἄσπυ* & ille, ad Noah reuertitur intra arcam sua sponte, neq; patitur sese comprehendi, licentia sua nimirum aërea delectatus. Sedet igitur noctu  
in tecto







prospectans, uidet suum legatum procul aduentantem uiridemq; frondem afferentem. Retracto igitur capite, per fenestram columba ingreditur, ramum oleæ, pacis signum, intra hanc ipsam captiuitatem hominum deferens, gratoq; murmure, tanquam nidulari gestiens, cum deponens.

Bone Deus quanto hæc gaudio excepit piissimus senex, cum tota sua Ecclesia. Nam pro sua eximia pietate, proq; luce ac perspicacia, quam Spiritus sanctus in Noah accendit, uidit ista non geri temere. Norat enim columbarum naturam minime esse, frondes ex arboribus auellere, ut graculi, ut cornices, ut aliæ ualentiores aues rostris acutis præditæ, nidulantes facere solent. Diuino igitur consilio & opere ista administrari, prudenter intelligit, ac significationes diuinæ uoluntatis non obscure hinc colligit, quod uidelicet iam pacis almæ signum Deus mittat, de liberatione propediem subsequutura. Imo longius prospicit, circa uesperam mundi Principem pacis affuturum, uti & in paradysum uenerat ad latitantes sub frondibus arborum primos parentes, & liberationem ex carcere peccati & mortis allaturum esse. Hic igitur nouis gaudijs & gratiarum actionibus, tota Arca resonat. Contrectatur manibus patris, manibus filiorum, manibus uxorū iste ramus oleæ uirens, expenditur miraculum Dei, quod columbam uoluerit esse almæ pacis nunciam, nec possunt exatiari aspectu huius



Et huius rami, ut pote testis gratiæ Dei, pacis, liberationis. Fit autem hoc decimo octavo Februarij die.

Exactis autem iterum septem diebus, rursum columbam emittit Noah, quæ non reuertitur, loco nimirum reperto ad habitandum idoneo, & uolebat Deus iam docere, in Arca diutius manendum non esse, id quod Noah iterum cum singulari gaudio & tripudio, ut sic dicam, excepit.

Hoc autem contigisse inquit Moses, anno uno elapso, scilicet lunari, primo mense, hoc est Nisan, seu Aprili, primoque eius die.

Vide autem quid fiat? Noah ista re comperta, tectum Arce lætus aperit ac deponit, Solis splendorem ac liberum aërem, iam in totam Arcam admittens, neque amplius imbres sibi aut animalibus perniciosos expauescens. Continet tamen sese pro sua egregia fide & obedientia erga Deum, intra sua septa, neque pedem efferre cogitat, nisi iubente Deo, à quo totus pendeat, sicuti iussu Dei, in hoc quasi sanctum Monasterium concesserat.

Subsistit igitur ibi adhuc unum propemodum mensem, Nam secundo noui istius anni mense, nempe Iar seu Maio, die uicesimo septimo, hoc est anno Solari completo, ecce Deus ille, qui sese diu quasi absconderat, iterum se reuelat, & ad Noah uerba facit, iubetque ipsum cum familia & animalibus terrenis, à communi clade miraculosa Dei prote-



ctione uindicatis, liberrimè, egredi, terramq; Anathema-  
tis expurgatam, ingredi. Hunc locum ait Iosephus ab Ar-  
menijs ἀποβα τῆς γῆς, in memoriam istius historiae, appellatum  
esse.

Hic uerò diuina maiestas, peculiari cæremonia ac pom-  
pa, tanquam Feudarius in suam terram, quam ipse crearat  
& conseruarat, nouos quasi Vasallos & colonos instituit  
atq; inducit, ut & in prima creatione fecerat. Tradit  
hominibus terram possidendam, colendam, fruendam. Be-  
nedicit coniugibus, ac uult in ea legitima societate, plures  
homines procreari, & in suam laudem educari. Subijcit  
eis creaturas brutas, Sancit ritus publicos, & potestate  
in facinorosos Magistratum munit.

Addit & fœderis atq; beneuolentiæ signum pulcher-  
rimum in ipsis nubibus aëreis, nempe iridem, cuius aspectu  
uult omnem posteritatem commonefieri, tum de diluui-  
o, tum quod deinceps eiusmodi uniuersalis inundatio non sit  
pertinescenda, sed expectanda potius æterna ex malis om-  
nibus liberatio.

Hisce igitur auditis, reuerenter egrediuntur aperta  
porta homines & animalia, ac prima cura sancti senis est,  
τῶν τῆς γῆς sub libero cælo, additis ardentissimis precibus,  
gratiarum actionibus, & uotis, sacrificare. Accendit  
Deus ipse uictimas, ac testatur, sese genere humano, con-  
dito ad



dito ad sui imaginem, mirificè delectari, & omni genere beneficiorum ac donorum eos gratiosè & cumulatè prosecuturum esse.

Stat igitur hic peractis sacris Reuerendus senex, partim loetitia plenus, partu quasi, multis uotis & lachrimis diu exoptato, tandem accepto, partim adhuc trepidans, tantam cladem undiq; iacentium cadauerum, ueluti cum stupore contemplans. Nam intelligit sese nunc multò aliter in terram collocari, quàm Adam protoplasten, Ille enim omnia ante se cernit uiua, integra, uegeta, iucunda. At Noab in cadauerosam terram ut sic dicam, & passim morte hominum & animalium foetentem ac pollutam ingreditur. Considerat etiam aliàs, faciem terræ horribiliter mutatam & deformatam esse. Videt montibus terram oppressam, quæ antea plana fuerat, Cernit arenas steriles dominari, ubi antea feruiles agri iacuerant. Aspicit rimas terræ, ac ualles crebras, ubi prius nullæ extiterant. Obseruat fontes & cursus fluminum uariatos, paradisum, elegantissimum orbis terrarum hortum, penitus esse deletum, atq; cæno, arena, montibus, quasi in imam terram demersum atq; sepulchrum. Futiliter enim garrunt contra sacras literas, afferentes etiamnum terrenum Paradisum, & quidem locis excelsis, concauum Lunæ orbem attingentibus, superesse.

Imò



Imo adhuc partim uestigia illa diluuij, in tot ruinis & anfractibus collium & uallium aspiciuntur. Reperiuntur etiam in profundissimis puteis Metallicis, quasi in argillosa terra impressæ imagines piscium, ut in fodinis Metallicis in mea patria Mansfelt: integræ arbores in saxum uetustatæ temporis miranda Dei operatione indurate, ut uidi frustra fagi ex puteis metallicis eruta, item ossauaria, magnorum animalium indicia.

Vix est triennium elapsum, quo Orlamundi in Thuringia, integra ossa Unicornis reperta sunt miræ magnitudinis, de quibus frustra quædam uidi, & locum ipsum postea aliquoties aspexi, & quidem reperta sunt in rima quadam seu ualle parua prope templum eius loci, quam sine omni dubitatione aquæ diluuij decurrentes effecerunt, & hoc animal ui aquarum eò detulerunt ac terra occuluerunt.

Accepit igitur Noab nouum istum mundum multo horridiorem & squalidiorem aspectu, & alioquin deteriore, quam ille prior mundus fuerat, quem quidem ipse sexcentos annos incoluerat.

Notat tamen loca Noab, in quæ iam deportatus erat, ex Solis ortu & occasu, & stellarum positu, & aliquandiu ibi, ut credibile est, subsistit, ex cultu terræ & animalibus domesticis, quæ penes se retinuit, ut sunt uaccæ, oues, gallinæ, & similes, uictum sibi suisq; parans. Sed quia sciret, uersus



uersus Meridiem esse locum, nempe in terra Canaan, ut  
postea nominata est ea regio à filio Cham, ubi semen pro=  
missum esset exhibendum, sane consentaneum est, cum &  
cor & oculos creberrime eò direxisset, sicut & paulatim  
ad ea loca posteri se contulerunt. Semen enim in Salem habi=  
tauit, ibique sacerdotis officio functus est, saepe auditores  
erudiens, fore, ut in eo loco Messias contriturus esset ca=  
put serpenti, quamuis Chami posteritas, hunc sanctum locum  
per nefas occupare, sibiq; uendicare praesumeret.

Sed ista longius excurrunt, & alibi euoluenda erunt,  
quae diluuium sunt subsecuta, Sunt autem anni 3882. à  
diluuiio elapso, usq; ad hunc praesentem Christi annum  
1574.

Reliquum igitur est, ut de typis & doctrinis, quas  
Arcæ istius historia suppeditat, aliquid subiiciamus, ac  
sane latissimus ac iucundissimus campus hic sese aperi=  
ret. Verum ad finem properandum est. Digitum igi=  
tur solummodo quasi ad fontem intendam, & mox audi=  
tores uberrima cogitationum piarum materia commo=  
strata, dimittam.

Legis & Euangelij, iræ & gratiae Dei illustria te=  
stimonia, in tota hac historia ob oculos poni, nemo non ui=  
det. Florent aliquandiu in hoc mundo impij, fruuntur opi=  
bus, digni=  
G



bus, dignitatibus, uoluptatibus, superbe & contumeliose  
aspernantur uerbum Dei, eiusque ministros exhibitant, Sed  
tandem ingruentibus poenis, inuoluuntur calamitatibus  
horrendis, & inexplicabilibus. Aduerte enim paulisper  
animus ad praesens negocium. Vbi manent illi arrogantes  
irrisores Dei & contionum Noah, diluuiio succrescente  
in toto terrarum orbe? Ecce sunt ex Arca iusto Dei iudicio  
excommunicati, natant inter pecudes, ululant ut canes  
haurientes aquam, ac sui suorumque exitium ob oculos  
habentes. Iam tandem destituti opibus, deserti ab amicis,  
nihil spei, nihil consolationis usquam inueniunt. ~~Nulla hic ratio formosi,~~  
~~nulla ualidi, nulla opulenti, nulla regis aut serui habetur.~~  
Omnes undarum impetu absorbentur, pereunt, inhumati procellis  
hinc inde iactantur & uoluuntur, putrefacti effundunt  
uiscera, defluit eis caro, ossa disperguntur, aboletur  
omnis ipsorum memoria. In hoc igitur triste irae diuinae  
paradigma intuens sanctus uates, inquit, Mors peccatorum  
pessima, Et, Vidi impium praefractum, & dilatatum  
sicut lauram uiridem, transiui, & ecce non erat.

Cogitent igitur omnes profani & impij, siue Epicuræi,  
siue hypocritæ, siue tyranni illi sint, Deum cer-  
nere ipsorum profana studia, & audire blasphemias uoces,  
ac sero



ac serio eis irasci, nec perpetuo ipsorum impietatem toleraturum esse. Imò non solum immergentur impij undis poenarum in hoc mundo, sed in æternos quoq; cruciatus præcipitabuntur, uiuicq; ut ait Propheta descendent in infernum.

O stultam igitur, o perniciosam hominum ferociam & pertinaciam, quæ tantis exemplis iræ diuinæ non commouetur, & tam furiosè contra stimulos calces leuat.

Clamitat Ixion rotæ affixus apud ethnicum Poëtam, Discite iusticiam moniti, & non temnere Diuos. Sed longè horribilius est diluuij istius uniuersalis exemplum, quod non ludit figmentis, sed innumerabilibus caudaueribus toti posteritati concionatur.

Quod ad Ecclesiam Dei attinet, est ea primum in hoc mundo, ueluti peregrina, exul, uagabunda, exposita sanis, contumelijs, atq; iniurijs inenarrabilibus filiarum huius seculi, sed hoc habet uicissim gratiæ:

Quod uerbo Dei regitur, ac Deo propicio fruitur, qui ei reuelat secreta, ad salutem animarum & corporum conducentia.

Præparat ei Arculam, donat ei quædam receptacula, in quibus non humanis consilijs, aut præsidijs eam regit, conseruat, fouet, sed dextera sua omnipotenti. Sic Deus Noab

G z

in lignea



in lignea domo, sic Lothum & Dauidem in spelunca, sic Ionam in ventre ceti, sic Apostolos in cymba, sic Ioannem in Pathmo, sic Athanasium in cisterna, sic Lutherum in suo latibulo, miraculose aduersus saeuientes tempestates defendit. ✠

Præterea omnes in spirituali Arca Dei tantum conseruantr. Nam extra Arcam istam non est salus. Arca autem Dei spiritualis, est uerbum Dei & Sacramenta. Omnes igitur amplectentes uerbum Dei incorruptum, & fide uera utentes illis tesseriis atq; sigillis gratiæ, quæ Deus ordinauit, uerè censendi sunt esse ac uiuere in Arca gratiæ Dei.

Non consistit autem unico saltem loco Arca Noah, sed fertur eò, quò Deus uult, aut permittit eam ferri uentorum impulsione. Sic Ecclesia Dei non est alligata locis, sed iam in hac, mox in alia gente, Deus ministerio uerbi sui Ecclesiam sibi uocat, sanctificat, & maximis donis ornat.

Natat nunc Ecclesia Dei in Germania, atq; adeò in hoc etiam Prusiæ loco, in Liuonia, in Poloniæ partibus, in Dania, in Suecia, imò & in remotissimis terris Deus habet quædam suæ Ecclesiæ membra, agnoscentia nimirum uera fide Iesum Christum, Mundi saluatorem, & in  
cuius



eius nomine inuocantia Deum patrem, atq; expectantia  
æternam salutem. Id uero beneficium DEI pia mente  
agnoscendum, & grato pectore celebrandum est.

Sicut autem Arca Noah undiq; cincta fuit pericu-  
lis, quæ Noah nullo consilio aut labore propulsare pote-  
rat: Ita Ecclesia Dei, donec in hoc uasto mundi pelago  
nauigat, innumeris est obnoxia aduersitatibus. Nam ca-  
ro deprauata pijs negocium facessit, Deinde Diabolus,  
Princeps & Deus huius mundi, omnibus suis uiribus &  
astucijs indefinenter affligit atq; excruciat pios. Insuper  
cum immundo & maligno mundo hic uiuendum ac confli-  
gendum est, cui quidem omnes boni, timentes Deum, quasi  
spinæ sunt in oculis, quas omni conatu remouendas, rese-  
candas, cremandas, delendas esse censent, tanquam pestes  
generi humano perniciosas, ut & sanctus Paulus que-  
ratur, Apostolos esse περιψήματα & καθάρματα huius  
mundi.

Coruus ille niger, ἄσος, ingratus, hians ad cada-  
uera, desertor Arce, hereticos superbos & petulantes  
significat, qui ut Ioannes testatur, egrediuntur ex NO-  
BIS, hoc est Ecclesia Dei, sed non erant ex Nobis, nec  
patiuntur sese retrahi à Noah, hoc est à sinceris uerbi  
Dei confessoribus. Mirum enim & graue Dei iudi-  
cium



cium est, quod errorum autores, praesertim qui semel  
atque iterum moniti, audire nolunt, postea nunquam rede-  
ant in uiam ueritatis. Lutherus pie memorie grauissi-  
me dicere solebat, Duces non reuertuntur. Inbiant  
autem illi patroni falsorum dogmatum praedis & cada-  
ueribus, perinde ut Corui, quia doctrinam mortis seu  
lectiferam tradunt, & alioquin falsae doctrine semper  
coniunctam habent tyrannidem, quemadmodum Diabo-  
lus mendax est & homicida, teste Christo.

~~Columba ramum oleae ferens, typus est Euange-~~  
~~lij Iesu Christi.~~ Est autem doctrina Euangelij de gra-  
tuita remissione per Christum, ignota generi humano  
naturaliter. Sedent igitur in regione & umbra mor-  
tis omnes mortales post lapsum, quia tantum terrificae  
legis fulgura & tonitrua audiunt, propter peccatum,  
quo sunt constricti, Sed filius Dei primum oleae ramum  
in Paradisum ex caelis attulit, denunciando perditis ho-  
minibus reconciliationem irati DEI per & propter  
uenturum semen mulieris. Deinde saepius haec dulcis  
& salutaris Euangelij uox, Patriarchis & Prophetis  
repetita est. Tandem uero Filius DEI homo factus,  
passus & resuscitatus, peperit eam aeternam & praes-  
tantem pacem. Spiritus sanctus, ut hunc typum re-  
praesentat



præsentaret atq; impleret, specie columbæ uisibiliter  
ad Iordanem in hunc ipsum Christum descendit, eumq;  
commonstrat esse pacis Principem. Venit & postea  
in Apostolos, & uult adesse Ministerio Euangelico  
usq; ad interitum huius mundi, ut per illud coelestis pa-  
cis & uitæ ramum miseris hominibus denunciaret atq;  
impertiat. Multo itaq; gloriosior hac in parte hodie est  
Ecclesia Christi, quam Arca illa lignea Noah, quæ  
prorsus interijt.

Sicut autem non tantum in undis mirabiliter defen-  
ditur Noah, sed etiam extrahitur prorsus, & in no-  
uum mundum transponitur, bonis diuinis undiq; afflu-  
entem: Ita non tantum in hac uita Christus miraculosis  
protectionibus & liberationibus suam Ecclesiam uult  
ornare, sed omnino eam ex omnibus malis magnifice  
uult liberare, atq; in beatas & æternas mansiones tra-  
ducere, ubi nouos coelos, nouamq; terram, in qua iusti-  
cia habitabit, ut Petrus uaticinatus est, possidebit, per-  
petuisq; gaudijs in conspectu Dei Patris, Filij & Spi-  
ritus sancti fruatur, & tunc totis pectoribus omnes  
glorificati, cum uniuerso sanctorum Angelorum cho-  
ro, Deo suo immortalis laudem & honorem decanta-  
tunt.

Nep



Nec caret mysterio, quod signum gratiae suae in nubibus uoluit depingere ac proponere Deus. Significauit enim fore, quod in nubibus omnes gentes sint congregandae, ubi omnes impij ad aeternos cruciatus damnabuntur, omnes uero pij in aeternam uitam & gloriam euehantur.

Sed temporis angustia haec etiam me cogit abrumperere, quae pijs mentibus ulterius cogitanda & meditanda relinquo.

Arcam itaque Noah considerantes optimi auditores, uniuersam Ecclesiae Dei formam, cuius quidem nos ciues esse ac perhiberi debemus, mente concipiamus, & perpendamus, nec frangamur tempestatibus, uel praesentibus uel impendentibus, tot inquam ne quis erret, furoribus haereticorum, praestigiatorum, falsorum fratrum, tyrannorum, contra sinceram Euangelij doctrinam, eiusque assertores & confessores: Nam haec tempora talia sunt, qualia Christus omniscius, ante mundi ruinae & destructionem fore praedixit, nempe perinde ut in diebus Noah homines securitate & profanitate quaelibet scelera perpetraturos, & filium Dei uix inuenturum esse fidem interris: Non igitur inquam de conseruatione & liberatione Ecclesiae Christi animum despondeamus, sed oremus primum, ut custos Israel, nos quoque & posteros nostros in sua  
cymbula



cymbula constantes, fide nimirum radicatos in ipsum Christum, retineat. Aedamus confessionem sanctæ doctrinæ, & omnes præstigijs, ab ea discordantes, serio ac sine omni trepidatione Deo assistente detestemur. Hac luce in lampadibus nostris fulgente, expectemus sponsi nostri suavissimi aduentum, qui in propinquo est, ac sciamus huius temporis passiones, nequaquam comparandas esse ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Portus nobis, imo regnum nobis æternum iam præparatum est. Ab ista igitur hæreditate ne excidamus, piè ac diligenter uidendum est.

Cum autem uocatio in societatem Ecclesiæ Dei, & in eadem permansio, ac tandem in regnum DEI cœlestis translatio, non sit uirium humanarum opus, sed misericordiæ Dei gratuita atq; immense, per & propter Christum, Itaq; te Iesu Christe supplices iterum oramus omnes, ut puritatem doctrinæ tuæ in genere humano, & quidem apud nos quoq; & posteritatem nostram, clementer custodias, pericula imminencia, & errores omnes, cum tuo sanctissimo uerbo pugnantes, discutias, & furores præstigatorum omnium ubicunq; locorum degunt, coherceas. Da ut simus inter confessores ueritatis tuæ saluificæ. Da constantiam. Da tolerantiam contumeliarum, iniuriarum, aliarumq; afflictionum. Da perseuerantiam, ne lucernulæ

H

nostræ



nostræ in tanta nostra infirmitate, & in tantis tantorum  
uentorum tempestatibus extinguantur. Da etiam medio-  
cria imperia, da tranquillitatem tuis scholis, quarum tu  
merito Rector & protector celebraris. Et quia Satan  
ima summis miscere conatur, cum iudicium suum in pro-  
pinquo adesse sentiat, & Mundus pene totus exitium Re-  
ligioni, Iusticiæ, & bonis moribus spirat atq; intentat,  
Veni, ueni inquit Iesu Christe, ueni redemptor & li-  
berator noster, nosq; in tuum palatium, in tua gaudia  
transfer, quæ nobis sanguine tuo precioso peperisti,  
uerbo infallibili promisisti, & sigillis gratiæ tuæ illustri-  
bus obsignasti, Ipsemet dixisti, Nisi abbreviarentur dies  
illi, non fieret salua omnis caro. Relictos igitur in  
hoc mundo, cita, uoca, accerse, libera, glorifica Ie-  
su Christe, propter gloriam nominis tui  
sanctissimi, nostramq; æternam  
salutem, Amen.

Dixi.

**LAVS DEO.**



PIÆ IUVENTI  
IN ACADEMIA REGI-  
OMONTANA S. IN  
CHRISTO.



Ventes eunt, & flentes portant preci-  
osum semen: Venientes autem uenient  
cum exultatione, portantes manipulos su-  
os, inquit sanctus noster uates. Præclare  
autem facies Ecclesie Dei in hoc mundo militantis, hoc  
dicto depingitur. Sæpe igitur hanc sententiam piæ mentes  
intueantur & expendant, ut sese aduersus illa horribilia  
spectra muniant, quæ fidei constantiam, confessionem syn-  
ceræ doctrinæ, et consolationem in æramnis, uel impedire,  
uel infringere tentant. Primum autem ait, Ecclesie Dei  
in hoc mundo eundem esse, hoc est, eam non semper  
habere stabilem locum, sed crebris ac difficilibus Exilijs,  
uarijsq; iactationibus expositam esse, idq; comprobat Ec-  
clesie Dei historia omnibus seculis. Sæpe enim excussi  
sunt insignes uerbi diuini præcones & propagatores.  
Sæpe ingentia agmina piorum cum coniugibus & paruis  
liberis, extrusa sunt ex suis hospicijs, quæ miserè hinc inde  
ueluti extorres & piacula mundi uagata sunt, & in istis  
profectionibus affecta sunt iniurijs multiplicibus. Et

H z

Christus



Christus prædixit, in nouissimo huius mundi tempore, afflictiones piorum & crebriores & asperiores futuras esse. Quid potest enim dici tristius, quam quod Christus inquit, ~~Eritis odio omnibus hominibus propter Nomen meum.~~ Coniungit autem fletum istis exilijs sacer noster ~~Vates,~~ quia sancti in hac uita non prorsus naturales suos affectus exuerunt. Etsi enim peculiare robur fidei est, non turpiter eiulari in tormentis, tamen peccatum non est, cum charissimis liberis & coniugibus, in fame, in morbis, in defatigationibus, in contemptu & probris, lacrymas absq[ue] impatientia parumper fundere, ac precari à Deo uel liberationem uel mitigationem. Nihil igitur mirum, nihil nouum est, quod nobis quoq[ue] & alijs pijs non paucis, in hoc mundo nonnihil eundo eundum, & paululum flendum est. Oportet enim nos quoq[ue] hac in parte aliquantulum similes fieri Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & ipsi adeo capiti nostro Iesu Christo. Verum non solet Spiritus sanctus tantum tristitia & luctuosa prædicere sanctis, sed fundamenta etiam suauissimarum consolationum simul suggerit, quibus piæ mentes sese erigere & sustentare queant. ~~Sic hoc loco inquit, Istos euntes homines portare preciosum semen.~~ Quid uero hoc rei est? Preciosum hoc semen, est uerbum Dei patofactum diuinitus, & quidem preciosum uocatur, quia diuina sapiëntia, & uirtus Dei est, ad salutem



ad salutem omni credenti. Monet igitur ut pii considerent ipsam causam suorum exiliorum, nempe quod non propter impia dogmata, aut uitæ scelera, sed propter uerbi Dei puri & incorrupti ingenuam confessionem, & propter corruptelarum doctrinæ cœlestis & idolomaniarum necessariam & perspicuam refutationem, exilia & persecutiones patiamur.

Deinde inquit Spiritus sanctus, pios in ipsis exilijs portare hoc preciosum semen, hoc est, non abijcere doctrinam cœlestem propter ærumnas & misérias, non se accommodare erroribus & præstigijs propter corbem panis, ut uulgo loquuntur, aut propter quietem & uoluptates corporis, quales quidem Arundines, Vertumni, Eceboli, Ventricolæ, passim non pauci omnibus ætatibus reperiuntur: Sed constanter ac fideliter hunc sacrosanctum thesaurum retinere, imò etiam alijs communicare, ac spargere, confessione perspicua & necessaria, iuxta dicta, Credidi propter quod locutus sum. Item, Luceat lux uestra coram hominibus. Miraculum igitur Dei ingens, in hac ipsa gubernatione Ecclesiæ sanctæ uidere est. Mundus rabiose pios exagitat, excruciat, torquet, ut eos à uera religione eiusq; confessione absterreat, sed illi mirando Dei fauore & ductu in hisce uexationibus fide, constantia, confessione, subinde magis magisque crescunt atq; inclarescunt,

H 3

iuxta



iuxta pulcerrimum Psalmi dictum, Iustus ut palma florebit. Idq; efficit ille qui dixit, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Imò & sanguine piorum foecundatur Ecclesia Dei, ut quidam ex ueteribus animose locuti sunt. Postremo & alterum fundamentum consolationis monstrat noster Vates, quod inquit. Venientes autem uenient cum exultatione, portantes manipulos suos. Attendant autem omnes pie mentes, plorationi opponit læticiam ingentem, imò tripudium ac triumphum: Exilio uago, reditum seu eluctationem potius ad portum optatum: Portationi ac seminationi, fructum & brauium. Sed ubi et quando? In iudicio nimirum uniuersali & uita æterna. Tristes igitur solatur, pressos erigit, madentes lacrymis abstergit, exanimatos uiuificat, deformatos corona immarcescibili exornat. Rident Epicuræi sanctorum labores, offenduntur eis hypocritæ, fremunt contra eos tyranni. Imò etiam boni existimant fructus tantorum suorum laborum esse exiguos & penè irritos. Sed audi Spiritum Dei, omnia arcana perlustrantem, certò inquit uenturos esse illos fideles seminis preciosissimi portatores, atq; ingenti gaudio manipulos, suæ seminationis uberrimos fructus, alaturus, & quasi nouarum frugum sacrificium in odorem suauitatis Deo suo oblaturus, ac uicissim hanc dulcem laudem adepturos esse, Euge serui boni ac fideles, intrate in  
gaudium



gaudium Domini uestri, & possidete regnum & gloriam,  
quae uobis sunt parata, Matth. 25.

Hac igitur nos quoque consolatione solida atque efficaci,  
in hisce horrendis fragoribus & ruinis summarum & infir-  
marum rerum in hoc mundo sustentemus, operasque sanctas,  
implorentes auxilium Spiritus sancti, studiose & in timo-  
re Domini faciamus, nec erit labor noster inanis in Do-  
mino. Cum igitur uocatus ab illustrissimo Prussiae Du-  
ce ac Domino, Domino Alberto Friderico, Domino  
meo clementissimo, & Statibus huius Prouinciae, & a  
Senatu huius inclitae Academiae comprobatus atque re-  
ceptus, preciosum Dei semen, Deo sic uolente & guber-  
nante, hoc etiam loco portare, hoc est spargere ac tradere  
debeam: Primum oro filium Dei Archiepiscopum Eccle-  
siae suae, ut Spiritum sanctum mihi clementer largiatur, qui  
me docenda doceat, & regat cogitationes, os, calamum, &  
omnes actiones, ne quid alienum a uerbo Dei sanctissimo  
proferam, det etiam in docendo dexteritatem, & successus  
salutares. Nam sine Deo nihil possum. Deinde significo,  
me ad XVI. diem Decembris hora octaua ante meridi-  
em in auditorio magno pro more publice de propositioni-  
bus aeditis responsurum, quantum quidem in hac mea infir-  
mitate, Deo aspirante & regente, fieri poterit. Postridie  
etiam, Deo me iuuante, hora tertia pro meridiana, lectionem  
Sacram



sacram præfatione quadam ordiar. Cum autem antecessores mei aliquid in ueteri Testamento explicauerint, & quandam doctrinæ Christianæ summam repetiuerint, eandem sequar rationem, & collectis iterum meis libris, Esaiæ Prophetæ conciones breuiter repetam, & per uices Confessionem Augustanam, ut quidam à me petierunt, percurram. Interea uerò donec libri aduehantur, Psalmum 84. una atq; altera lectione auditoribus proponam. Filium Dei iterum oro, ut ad sui nominis gloriam, & salutarem iuuentutis ædificationem, ista omnia pro sua misericordia dirigat, Amen. Die  
Luciæ Anno Domini. 1573.

Wigandus D.

Lege.

reñciendæ sunt, ut quæ A 3. puti A 3 b.  
alijs materijs C. uobisq; ibidem. inum  
locum D 3 b.



M  
Fol 1299

ULB Halle

3


003 006 867




f  
SB











ORATIO  
DE ARCA NOAH,  
RECITATA IN ACADEMIA REGIOMONTANA PRUSSIAE.

201.

33

A

D. IOHANNE  
Wigando.

4<sup>ag.</sup>

REGIOMONTE BORUSSIAE  
typis hæredum Ioannis Daubmanni,

M. D. LXXIII.

